quos merito muneraret propter liberę et non coactę servitutis studium. Verum chorus ille qui ob claritatem quam ex divina munificentia creando susceperat nomen accepit luciferum. dum sui conditoris excellentiam respicere maiestatemque venerari non meminit. sese mirans intumuit. nec mora luculento habitu viduatus. in voraginem baratri omni turpitudine defuscatus corruit. Tunc cętera celicorum agmina discrimine ac ruina scelestorum perculsa. dum similem casum timuerunt innocere de bivio libertatis imperfectum et simplicem bonitatis habitum ~~sic~~ leguntur evasisse. ut nequaquam amplius offensio peccandi ~~posset~~ eos attingere. Ea igitur causa genus humanum sumpsisse perhibetur originem. ut obediendo proficisceretur ad gloriam quam superbus amiserat ob irremediabilem culpam. Cuius generis propagationem non sic intelligitur amplificari voluisse bonus omnis creaturę dispositor. ut licenter quibuslibet viri mulieribus abuterentur. sed inter marem ac feminam fides servaretur coniugii cum protoplasto non plures sed unam desponsaverit. cum per eundem sanctum adam et sapientem dixerit. relinquet homo patrem ~~et~~ suum et matrem. et adherebit uxori suę et erunt duo in carne una. Qui ergo uni viro virginem unam despondit. quique duos in carne una constituit. subtiliter interventionem tertii vel tertię propter duorum dissidium arguens interdixit. Verum istud tantis nove legis et vetustę ~~vititur~~ assertionibus et nostris argumentis firmari non indigeat. Quod vero legale conubium religio sit non delictum. dominus ihesus xps liquido patefecit. qui nuptiarum convivio dignatus interesse cum suis discipulis. signorum illas primordiis decoravit. (Jh. II. 26. [illegible] Tinkt) Unde ego   videlicet miles dei sicorum patrum emulari cupiens. institutę te scilicet   propter amorem generandę prolis et conservandę regulę coniugalis in matrimonium volo ducere. et ~~[illegible]~~ de meis possessionibus